

DE. curaest mihi. *MI.* et mihi curaest. verum, Demea,
 50 curemus aequam uterque partem : tu alterum, 130
 ego item alterum ; nam ambos curare propemodum
 reposcere illumst quem dedisti. *DE.* ah Micio !
MI. mihi sic videtur. *DE.* quid istic ? si tibi istuc placet,
 profundat perdat pereat ; nil ad me attinet.
 55 iam si verbum unum posthac . . . *MI.* rursus, Demea, 135
 irascere ? *DE.* an non credi' ? repeto quem dedi ?
 aegrest ; alienu' non sum ; si obsto . . em desino.
 unum vis curem : curo ; et est dis gratia
 quom ita ut volo est. iste tuos ipse sentiet
 60 posteriu' . . nolo in illum graviu' dicere. 140

M I C I O

nec nil neque omnia haec sunt quae dicit : tamen
 non nil molesta haec sunt mihi ; sed ostendere
 me aegre pati illi nolui. nam itast homo :
 quom placo, advorsor sedulo et deterreo ;
 65 tamēn vix humane patitur ; verum si augeam 145
 aut etiam adiutor si(e)m eius iracundiae,
 insaniam profecto cūm illo. etsi Aeschinus
 non nullam in hac re nobis facit iniuriam.
 quām hīc non amavit meretricem ? aut quoi non dedit
 70 aliquid ? postremo nuper (credo iam omnium 150
 taedebat) dixit velle uxorem ducere.
 sperabam iam defervisse adulescentiam :
 gaudebam. ecce autem de integro ! nisi, quidquid est,
 volō scire atque hominem convenire, si apud forumst.